Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26181
Copyright: Admont, Benediktinerstift



ta ordinato animo administra. Omnia non turbulento. sed tranquillo corde dispone. (honoribus)

Caue autem honores quos tenere sine culpa non potes. sublimitas honorum magnitudo scelerum est. In maiori gradu sine dubio maior est pena. qui minor est. uenie proximus est. Potentes autem potenter tormenta patiuntur. iudicium enim durissimum in his qui presunt. Cui multum datur. multum abeo requiritur. cui plus creditur. plus abeo exigitur. Honores quoque secum pericula gerunt. cito periclitatur potestas. cito ruinam patitur. Quanto enim maior honor. tanto maiora pericula. Alta arbor auentis fortius agitatur. et eius rami citius in ruinam confringuntur. Excelse turres grauiori casu procumbunt. altissimi montes crebris fulgoribus feriuntur. In potentem cito cadet inuidia. cito patet insidiis gloriosus. Gloria enim inuidiam parit. inuidia uero periculum. Quamuis quisque in seculi gloria fulgeat. quamuis purpura resplendeat. quamuis cultu pretioso redimitus emineat. quamuis multitudine premunitus. quamuis excubantium armis protectus. quamuis innumeris obsequentium cuneis constipatus. quamuis agminibus fultus. semper tamen in pena est. semper in angustia est. semper in merore. semper in discrimine. In sericis stratis cubat. sed turbidus. in pluma iacet. sed pallidus. in lectis aureis. sed turbatus. Breuis est huius mundi felicitas. modica est huius seculi gloria. caduca est et fragilis temporalis potentia. Dic ubi sunt reges. ubi principes. ubi imperatores. ubi locupletes rerum. ubi potentes seculi. ubi diuites mundi. Quasi umbra transierunt. uelut somnium euanuerunt. querunt et non sunt. Diuitie usque ad periculum ducunt. diuitie usque ad exitium pertrahunt. Multi propter opes periclitauerunt. multi propter diuitias in discrimen uenerunt. multis exiciabiles fuerunt diuitie. multis mortem generauerunt opes. Numquam requiem mentis habet qui terrenis curis se subdit. sollicitudines enim rerum mentem conturbant. Cure rerum mentem exagitant. occupatus enim sollicitudine. numquam caret angustiis. Si igitur uis esse quietus. nichil seculi appetas. Semper requiem habebis. si a te mundi curas abieceris. Semper interna quiete frueris. si te abstrepitu terrenarum actionum subtraxeris. Diuitie numquam sine peccato acquiruntur. nullus res terrenas sine peccato administrat. Valde rarum est ut qui diuitias possident ad requiem tendant. qui curis terrenis se implicant. a dei amore se separant. qui in rerum amore defigitur. in deo nullatenus delectatur.

Cure enim rerum ab intentione dei auertunt. Nemo potest amplecti gloriam dei et seculi. nemo potest amplecti xpm simul et seculum. Difficile est celestibus et terrenis curis pariter inseruire. difficile est deum simul et mundum diligere. utraque simul amari non possunt. Propter deum ergo renuncia omnibus seculi curis. a curis terrenis te propter deum suspende. Sine impedimento seculi deo deseruire stude. nulla cura a dei amore te subtrahat. nulla te sollicitudo rerum ab intentione dei suspendat. Abice a te quicquid impedire bonum propositum potest. Toto animo et odi et dampna quod diligit mundus. Esto mortuus mundo et mundus tibi. mundi gloriam tamquam mortuus non aspicias. tamquam mortuus ab effectu uite istius te separa. Sic sepultus non habeas curas seculi. tamquam de

abigeris